



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De musca, quae circa corpus Domini in hora sumptionis volitans, mortis
poenam soluit, cap. 10.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

cula eram, & hortum excolendum suscepissem, nocte quadam mulierem vagam hospitio recepi, cui cum damna horti mei exposuissem, asserens omnia olera ab erucis deuorari: respondit illa: Bonam te instrua medicinam: accipe corpus Domini, & comminue illud, sicque super olera spargas, & statim lues cessabit. Ego misera, cui maior cura erat de horto, quam de sacramento, cum in Pascha corpus Domini suscepissem, & extractum de ore fecissem sicut edocta fuera, quod oleribus in remedium, mihi teste diabolo factum est in tormentum. **A P O L L O N I V S**: Crudelior erat mulier haec ministris Pilati, qui **I E S V** mortuo pepercerunt, ne ossa eius comminuerent. **C A E S A R I V S**: Idcirco usque hodie luit maximum id peccatum, & sunt cruciatus eius inauditi. Attendant hanc poenam, etiam non culpam, qui Deifica sacramenta ad temporalia, vel, quod execrabilius est, ad maleficia conuertunt: etiam vermes, si reuerentiam circa hoc sacramentum negligant, aliquando poena mulctantur.

CAPVT X.

*Anima-
lia vim
eius sen-
tiunt.*

ANno praeterito, cum quidam ex sacerdotibus nostris coram Episcopo Theoderico missam quotidianam de Domina nostra celebraret, in ipsa hora fractionis, musca grandis circa & supra calicem volitare cepit, ita importune, ut quasi vi velle intrare videretur: Sacerdos timens ac tremens, cum manus haberet occupatas, & muscam exufflaret, nec proficeret, Henricum Diaconum, qui hora eadem Episcopo pacem porrigebat, tussiendo crebrius aduocauit. Tunc illa alacri volatu altius labens, praesumptionis culpa ibi luit, quia post morulam, completa sumptione atque ablutione, intuente sacerdote, quem turbauerat, quasi lapillus, inter corporale & calicem extincta ruit, quam Diaconus de altari projecit. **A P O L L O N I V S**: Satis me delectat haec narratio. **C A E S A R I V S**: Etiam Dominus in simplici pane, tanto sacramento assignato, quandoque miracula operatur.

CA.